



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Ioannes de la Puente n. 46

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

Insigniam
Elogiorum
congloba-
tio.

Eia agite, Cælestes Columbæ, diuinæ Nubes, expertissimi Architecti, Cæleste viridarium, Planta ab spiritu Sancto confita, Placidissimum Dei Topiarium, Ordo Sanctissime, hoc munusculum à quodam Vobis addictissimo suscipite. *Hæc inter alia Oliua doctissimus cuius eloquentiæ, & amoris oleum, in filios olei (quales IESVITÆ sunt) in omnes facile se diffundit.*

Socij fun-
datores ac
reparatores
fidei, mo-
rumque re-
formatores.

46. * A IOANNE DE LA PVENTE Regio Historiographo Tom. *Conuenientiæ Monarchiarum*. Fructum, *inquit*, quem Societas fecit per septuaginta annos, paucis adiunctis; à primæua sua institutione, Europæ Regna prædicent, Orientalis Indiæ Prouinciæ celebrent, eius siquidem filij, in omnibus Orbis partibus Fundatores, ac Reparatores sunt fidei, morumque Reformatores. *Ita ille apud P. And. Luc. vitæ S. Ignatiij lib. 4. cap. 20. fol. 320. En breuissimis lineis longissimam Societatis, ac Sociorum commendationem.*

Societas in
Ignatio
laudata.

47. * AB ANTONIO CALVO *In Propugn. Religionum cap. 14.* B. Ignatius de Loyola (*inquit*) Fundator, ac Generalis Societatis IESV Illustris Sanctitatis exemplum, Mundo datus in his extremis temporibus, tanquam speciale Dei beneficium, in infinitarum animarum remedium, vti Pater Magister Ludouicus Granatensis affirmat: alijque viri insignes de illo scribentes, vel ante suam Beatificationem, iam Beatum, ac sanctum appellabant: cuius admirabilem vitam ac Sanctitatem Deus & miraculis, & persecutionum trophæis patefecit, quas Dæmon salutis animarum inuidus contra ipsum excitauit ad impediendam foundationem Religionis adeò fructuosæ, quam Deus per Ignatium Mundo dare decreuerat. Non dum grandis admodum Ædificij fundamenta iecerat; cum non solum per diuersas Orbis plagas, sed in Vrbe etiam tempestates horribiles aduersus filios, & Patrem, in eorum destructionem, & ruinam humani generis hostis commouit. At cum Dei Opus Societas esset, quanto plus ille, eiusque Ministri in eam debacchabantur, tanto gloriosior

Fructuosa
Religio &
grande ad-
modum
ædificium.

Dei opus, eò
gloriosum,
quo magis
impugna-
tum.